VALERIANI DE FLAVIGNY

Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoris ac Socij Sorbonici, Insignis ac Metropolitanæ Remensis Ecclesiæ Presbyteri Canonici, & in alma Parisiensium Academia Sacrarum Hebraïcarumque Literarum Professoris Regij

EPISTOLA TERTIA

In qua de Libello Ruth Syriaco, quem Abrahamus Echellensis insertum esse voluit ingenti isti Bibliorum Operi, quod non ita pridem Lutetiæ Parisiorum Hebraïcè, Græcè, Latinè, Chaldaïcè, Samaritanè, Syrè, & Arabicè prodijt.

Ad eumdem ABRAHAMVM ECHELLENSEM, vt tandem aliquandò minùs de se quàm de alijs sentiat.



M. DC. XLVII.

QVid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? *Matth.* 7. v. 3. Eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. *Ibidem* v. 5.



ABRAHAMO ECHELLENSI MARONITÆ.

ALERIANVS DE FLAVIGNY, Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctor ac Socius Sorbonicus, Insignis ac Metropolitanæ Remensis Ecclesiæ Presbyter Canonicus, & in alma Parisiensium Academia Sacrarum Hebraïcarumque Literarum Professor Regius.

NON sum nescius, ABRAHAME CORDATISSIME, quin optimè memineris quibus nos verbis exceperimus, vbi nuper ~~per~~ conuenimus apud Illustrissimum Bignonium, & quid ibi fuerim tibi pollicitus, dum me petu-

lanter aggressus es in disceptatione de Sacro-Sanctæ Editionis Hebraïcæ authentica veritate, quæ tuâ nihil intererat. Nolo igitur tuam hîc sollicitare memoriam, sed tantùm meis satisfacere pollicitationibus; ratus te nihil prætermissurum ex ijs quæ ad asserendam tuam famam pertinere putaueris. Scio equidem quod aiebas, & illud tecum ingenuè fateor & admitto; me nempe nihil ferè præter characteres punctos & apices in libris Syrorum & Arabum agnoscere; adeo vt, vbi aliquid discutiendum venit aut explanandum, nihil ego sim penitùs *Diomede relicto*; versatus tantùm, licet fortè satis mediocriter, in Hebraïcis. Sed scio etiam, & illud ipsum, tuâ pace, palàm & apertè profiteor, me satis profecisse

ex illa longa & assidua consuetudine, quæ mihi semper fuit cum Clarissimo Gabriele Sionita Linguarum Orientalium Professore Regio longè meritissimo; vt mihi promptum sit & expeditum, etiam solis meis viribus, omnes illas eximias elucubrationes, quibus tantoperè gloriaris ac triumphas, explodere. Et ne longiùs abeam in re tanti tibi ponderis ac momenti, aut te diutiùs dubium & ancipitem detineam; hoc ipsum, quod tibi nuper coram Illustrissimo Bignonio sum pollicitus, fideliter exequor & breuiter adimpleo.

Libellus Ruth, qui primus, ni fallor, ex omnibus ingenij tui fœtibus Arabicè simul & Syriacè, nec-non & Latinè prodijt; luculentissimum, si quis vnquàm alius, perhibere debuit de tua sum-

ma ac ſingulari eruditione, nec-
non & ſupereminenti Linguarum
Orientalium peritia teſtimonium.
Prodijt enim pompaticè, & inſig-
nem veluti triumphum agens,
quòd ingenti iſti Bibliorum Ope-
ri, quod ante annos ferè viginti
Lutetiæ Pariſiorum Hebraïcè,
Græcè, Latinè, Chaldaïcè, Sa-
maritanè, Syrè, & Arabicè para-
tum fuit & adornatum, illuſtrem
planè coronidem imponeret, &
gloriam indefeſſis Clariſſimi Ga-
brielis Sionitæ laboribus debitam
eriperet. Et tamen, quod vix ac
ne vix quidem credidiſſemus, tot
& tantis conſpurcatus eſt maculis
ac tam fœdis erroribus tuâ manu
infœliciter obſtetricante, vt om-
ninò mirum ſit & ſæculis omni-
bus inauditum, eum, qui tan-
tâ laborat inſcitiâ, audere adhuc

inter eruditos, etiam Parisijs, caput attollere. Nempè, vt ego prætermittam Textum Arabicum, de quo nulla mihi fuit tunc temporis tecum controuersia, plusquàm quadraginta quinque mendas, easque grauissimas, in solo primo suo capite nobis exprimere; Textus Syriacus, de quo sola nobis quæstio fuit, ita se habet, vt passim & vbique redolere videatur crassam penitùs & ineptam Tyronis alicuius ignorantiam. Atque vt semel scias me te adhuc benignè excipere, & eâ, quâ possum, vrbanitate atque beneuolentiâ; sepositis in tui gratiam omnibus illis hallucinationibus, quæ fortè Typographorum incuriæ, aut Emendatorum oscitantiæ tribui possent; has solùm, quas nullus benè sanus æquô animô tulerit, accipe. Age

igitur & expende.

Cap. 1. v. 2. hoc nomen proprium אֵלִימֶלֶךְ quod etiam tibi Latinè sonat ex Hebræo *Elimelech*, barbarè scribis ac ineptè אֵלִימַלֵךְ Cùm autem næuus iste habeatur adhuc hôc ipsô cap. v. 3. & cap. 2. v. 3. nec-non & cap. 4. v. 3, palàm & apertè relinquitur tuum illud mendum non esse fortuitum, aut præli vitiô introductum; sed crassum penitùs atque supinum. Eod. cap v. 7. ad illa verba *Egressæ sunt de terra habitationis suæ* malè scribis & imperitè דמְעמַרהֵין pro דמַעְמַרהֵין *habitationis suæ*. Sciunt enim omnes Linguæ Syriacæ Tyrones atque Candidati, *Nomina, quæ habent à capite literam* Mim *affectam punctô* Pthohho, *cum affixis primæ personæ singularis, & secundæ ac tertiæ pluralis vtriusque generis, assumere semper*

semper punctum Pthohho *supra pe-
nultimam*, vt in his exemplis
מַקְדְשׁוא *Sanctuarium*, מַקְדְשׁי *San-
ctuarium meum*, מַקְדְשׁכון *Sanctua-
rium vestrum*, מַקְדְשׁהון *Sanctuarium
eorum*, & aliis. Eod. cap v.8. invoce
רַחמא *Misericordias*, malè prorsùs
omittuntur duo puncta pluralita-
tis, quæ numquam prætermittun-
tur à peritis. Eod. cap v. 9. ad illa
verba *Et osculata est eas*, inscitè scri-
bis ac imperitè וַנֵשְׁקַת pro וַנַשְׁקַת
Et osculata est. Nempè sciunt qui
satis Syriacè sciunt, *In verbis a-
ctiuis & in conjugationibus* Peal &
Paël *vsitatis*, *conjugationem* Peal *v-
surpari tantùm, vbi est vnicum suppo-
situm in quod actio transeat; conjuga-
tionem verò* Paël, *vbi plura*. Ex. g.
קטל *Occidit* de vno tantùm occiso
dicitur, קַטֵל autem de pluribus.
Vnde cùm hîc sermo sit de plu-

ribus , vti patet ex Textu qui dicit , etiam ſecundum tuam interpretationem , *Et oſculata eſt eas;* quis neſcit te præter וַנִּשַׁק hîc eſſe legendum, & non וַנֵּשַׁק *Et oſculata eſt*? Mirum porrò te hominem eruditiſſimum, & qui de ſynceritate Sacro-ſanctę Editionis Hebraïcæ ac ſtrenuis eius Propugnatoribus audentiſſimè pronuntias , neſcijſſe hanc vocem דאלשדי quæ hôc ipſô cap. reperitur verſ. 20. eſſe vnum ex Dei nominibus cum Litera *Dolath* ſibi prępoſita; atque adeò non eſſe efferendum per vocem אֵלְשַׁדַי, vt tu malè effers ac barbarè, ſed per vocem אֵל שַׁדַּי purè Hebraïcam, etſi in tua verſione malè adhuc habeas *Eliſadai*. Audi ergo appoſitum tibi Prouerbiũ, *Ne Sutor vltra crepidam*; aut ſi ſatis Hebraïcè ſapis גרמא דנפיל בחלקך

גרדה. Sed, ni fallor, ex illorum es numero, de quibus etiam dici poteſt adagium iſtud Thalmudicũ דמלפא תכלי לא כהתא. Iam enim effecit tua inſtitutio, vt quod pudendum eſt minimè te pudeat.

Cap. 2. verſ. 2. barbarè ſcribis ac penitùs imperitè בַּרתִי pro בּרתי *Filia mea.* Et vt minimè cogitaremus hoc mendum, licet craſſum penitùs & inſulſum, tibi inconſultò excidiſſe, aut caſu, vel fortuitò, illud ipſum repetis, non ſolùm hôc ipſô cap. verſ. 8. & verſ. 22. ſed etiam cap. 3. verſ. 1. 10. 11. 16. & 18. adeo vt mirum videri non debeat te mecum contendiſſe apud Illuſtriſſimum Bignonium, vocem iſtam ita eſſe legendam ac ſcribendam. Sed videant Linguæ Syriacæ Tyrones ac iudicent. Eod. cap. v. 3. ad illa verba *Et offendit in par-*

tem agri Booz contribulis, aut *cognati*, duplex mendum committis, & illud quidem crassimum atque stupidissimum, vt nihil dicam de tua versione, quæ non ita commoda est ac propria, *Et occurrit ei pars agri Booz consanguinei.* Primum in voce וְאִסְתַּקְבַּלַת *Et offendit*, vel *incidit*, quàm sic malè scribis & interpretaris וְאִסְתַּקְבַּלַת *Et occurrit*; est enim verbum istud, vti sciunt Linguæ Syriacæ Candidati, à forma אִסְתַּקְבַּל vsitatissima; non à forma אֶסְתַּקְבַּל inusitata penitùs & Syris omnibus incognita. Alterum in voce פּוּלְגוּתוּא quę non significat, vt interpretaris, *Partem*, aut *portionem*, sed *dissensionem*, *schisma*, aut *diuisionem*. Atque ita פּוּלְגוּתוּא *dissensionem*, *schisma*, aut *diuisionem*, ineptè Legis & imperitè pro פְּלַגוּתוּא *Partem*, aut *portio-*

nem, etsi cap. 4. v. 3. idem illud mendum expressissimè habeas. Eod. cap. v. 9. ineptè adhuc vsurpas masculinum וְאִשְׁתִּי *Et bibe*, pro fœminino וְאִשְׁתּוֹי quod esset cōgruum. Eod. cap. v. 14 ad illa verba *Fragmenta spicarum perfricatarum* inscitè legis דפריכותוא דַּפְּרִיכוּתוּא pro *Perfricatarum*; est enim participium plurale Fœmininum formæ emphaticæ, quod habet à capite literam *Dolath* cum puncto *Pthohho* de more literarū בדול, quarum constructionem cum dictionibus subsequentibus hîc & alibi passim videris penitùs ignorare. Et certè, cùm tibi nuper exprobrassem apud Illustrissimū Bignonium, te ne quidem literarum בדלו genium ac naturam percipere, quod tamen omnibus Linguę Syriacæ cultoribus planum esse debet atque

pervium ; nullum aliud dedisti mihi responsum, quàm fumosum istud atque perturbatum, *Quid? Quid?* Denique hôc ipso cap. v. 2. inepté scribis ac barbaré דַּרְבַקְתִּי pro דַּרְבֵּקְתִּי *Quòd adhæsisti*; est enim secunda persona singul. fœminina cum litera *Dolath* à capite, à verbo secundæ formæ דִּבֵּק *Adhæsit*, non autem דָּבַק primæ formæ, vti malè deducis & exprimis.

Cap. 3. v. 10. pręter mendum istud insigne, quod quinquies admisisti in sola dictione, בִּתִּי *Filia mea*, vti modò palàm tibi subiecimus, ineptè penitùs ac stupidè monstrum istud efformas אָזַלְתְּ cum lineola infra literam *Lomadh*, vt eius quietem atque silentium indicet. Si enim vox ista אָזַלְתְּ est secundæ personæ sing. fœm. vti etiam tua versio satis innuit *Secuta sis*, ad

verbum *Ieris*; præter ineptam ſuppreſſionem literæ *Ioudh*, quæ omninò eſſentialis eſt in fine iſtius dictionis, vt indicetur eam eſſe ſecundæ perſonæ ſingularis fœmininæ, inſcitè ſcribis ac barbarè ſignum quietis ſub litera *Lomadh*, quæ, vti ſciunt quotquot ſatis Syriacè ſciunt, nuſquàm quieſcit in hoc præterito, præter quàm in prima ſingulari maſculina & tertia ſingulari fœminina. Quod ſi dicas dictionem iſtam אֱזַלְתְּ eſſe tertiæ perſonæ ſingularis fœmininæ *Abiit*; nullus equidem erit error in tua notatione, ſed ſemper oberit ſequela Textus cum tua verſione *Secuta ſis*. Quis igitur feret tantam ac tam ſupinam in vnica dictione imperitiam?

Cap. 4. v. 1. inſcitè ſcribis מֻנֵּנּוּ pro מוּנְּנוּ; neque enim verten-

dum est, vti etiam minimè vertis, *Quis est*? sed, *Quid est*? Ac proinde cùm vox illa interrogatiua מַן dicatur tantùm de personis, מונוא autem, & per contractionem מון de rebus; quis nescit te prçter hîc esse legendum מוּנוּ *Quid est*? Et non מַנוּ *Quis est*? maximè cùm sensus necessariò id postulet? Eod cap. v. 4. malè scribis ac barbarè ואמַד pro וְאמַר *Et dicam*, spretâ semper literarum ברול notatione, & repositâ literâ *Dolath* pro litera *Risch*. Eod. c. v. 11. ad illa verba *Faciat Dominus mulierem istam sicut Rachel & Liam*, דהונֵין *Hæ quæ ambæ ædificauerunt Domum Israëlis*, malè scribis & incongruè דהונֵין pro דְהֵנֵין. Siquidem הונֵין de absentibus tantùm aut quasi absentibus dicitur, הֵנֵין autem de præsentibus aut

veluti

veluti præſentibus , adeovt הִנִּין idem ſit ac *Illæ* , הָנֵין ac *Iſtæ.* Vnde cùm hîc demonſtrentur veluti digitô Rachel & Lia , eò quòd ædificauerint domum Iſraëlis ; palàm & apertè relinquitur , non הִנִּין *Illæ* , ſed הָנֵין *Iſtæ* legendum eſſe ac ſcribendum. Et certè hoc ipſum tua verſio , quæ Textui particulam *Ambæ* addidit, inſinuare videtur, vbi ait, *Hæ quæ ambæ ædificauerunt domum Iſraëlis.* Eod.c.v.14. barbarè ſcribis & ineptè אֲעֵנַר pro אַעְנֵר *Tranſtulit* ; conſtat enim, etiam apud Tyrunculos Linguæ Syriacæ , *Verba conjugationis* Aphel *numquàm habere punctum Pthohho ſub ſecunda thematis* , *niſi tertia ſit litera* Riſch , *aut vna ex gutturalibus.* Sed quid opus pluribus ? Summam tuam in Lingua Syriaca ignorantiam pro-

det vltimum, quod ego notabo, vocabulum. Dum enim ſcribis hôc ipſô capite 4. verſ. 15. יַלְדַתְה pro יְלֵדַתְה *Peperit illum*, prætermiſſô punctô *Hh'voſſo* ſub litera *Joudh*, quod ei tamen omninò eſſentiale eſt ac neceſſarium, & repoſitô punctô *Pthohho* ſub litera *Lomadh*, locô puncti *R'voſſo*, contra analogiam à verbi יֵלֵד, quo tertia iſta perſona ſingularis fœminina deriuatur, & non à verbo יָלַד, quod barbarum eſt penitùs atque inſolitum; quid aliud colligere poſſumus, quàm te magnum eſſe Ardellionem, & in Lingua Syriaca Tyrunculum potiùs quàm Magiſtrum aut Doctorem.

Porrò, quis tuam feret in Lingua Latina barbariem? An Latinè dici putas quod ais cap. 1. v. 12.

Reuertimini filiæ , quoniam ego senui vt essem apta viro , pro *Ego senui vt sim apta viro?* Quid dicent Latinè Eruditi de tua illa versione eod. cap. 1. v. 19. *Et factum est , vt cùm venissent in Bethlehem Iuda , lætaretur in eis omnis vrbs* ; pro *Venissent Bethlehem* , & *Tota vrbs?* Quis credet Latinam esse phrasim istam cap. 2. v. 5. cap. 3 v. 9. *Quod nuntium est puellæ huius?* pro *Quæ fama est puellæ huius?* An quispiam Latinè dixerit quod ais eod. cap. 2. v. 9. *Ecce præcepi , vt homo non lædat te;* pro eo quod vulgò dicitur, *Ecce præcepi , ne quis te lædat?* Quis ferret phrasim istam incongruam eod. cap. 2. v. 10. *Ad cognoscendum me, quòd essem peregrina* , pro congrua ista loquendi formula. *Ad cognoscendum me, cùm ego sim peregrina?* Denique , quis dicet Latinè

dici quod ais eod. cap. 2. v. 17. *Et percussit virgâ ea quæ collegit*, pro *Et decussit*, aut *excussit virgâ ea quæ collegerat*? Et iterùm eod. cap. 2. v. 18. *Et dedit ei de eo quod comederat, & superfuit ei*, pro *Comederat & superfuerat*? Certè, hæc & alia eiusce generis innumera, quæ hîc notare supersedeo, ne contra mentem in immensum nostra excrescat Epistola, luculentissimum nobis perhibent de tua summa ac singulari Linguarum Orientalium & Occidentalium peritia. Faxit Deus, qui ne talis esses minimè prohibere voluit, vt tandem aliquando resipiscas hisce meis monitis & animaduersionibus; ne si pergas vlteriùs alienis inuidere laboribus, aut ijs, quos aliunde mutuatus es, gloriari, *Tollat sua munera Cerdo*; atque adeo sæpe sæpiùs à nobis

audias, *Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.* Interim benè vale, & mentem ſanam in corpore ſano tibi poſſide. Luteriæ Pariſiorum pridie Cal. Mart. An. R. S. M. DC. XLVII.

FINIS.

